



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

§. II. Idem Probatur ex Scriptura & Patribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

cta: qui enim dubius de peccato aliquid agit, haud dubie peccat. Sic enim concludit S. Thomas: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem (ne scilicet peccatum insit:) inducitur, & sic non peccat: licet id faciat, quod materiale peccatum est.* Poteratne adduci textus magis expressus, ut principium illud erro- neum confutaretur? hunc tamen impudenter adducis pro illius confirmatione: & nihil, ut dicis, loco illo planius, nihil evidentius.

Alium locum quodlib. 9. art. 15. describis, ubi hæc habet S. Doctor: *Error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto.* Loquitur S. Doctor de erro- re crasso, & affectato, non verò de invincibili. Idem prorsus repono ad tertium textum, quodlib. 3. art. 10. Vbi legitur: *Nullus excusatur si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri:* Erroneam scilicet, affectatè, crassè, non verò invincibiliter; ut patet ex primo tex- tu citato. Sic profectò Jansenius vester Augustinum citat pro suorum errorum confirmatione, ut ab aliis demonstratum,

S. III.

*Idem Probatur ex Scriptura & Pa-
tribus.*

STatim vocem illam à Parisiensibus Parochis alla-
stam intonas: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in fo-
veam cadunt.* Igitur inquis, qui sequitur opinionem
probabilem falsam, in foveam corruet. * O subtilem
& acutum Logicum! Quasi verò ignorantia, vel cæ-
citas affectata & voluntaria, quæ revera Pharisæi te-
nebantur, opinionem probabilem faciat. Quis Tyro

* Pag. 77.

tam supinè peccaret? cæcitas affectata errorem facit, vel opinionem erroneam affectatam: quantum hæc à probabili discrepet, quis, amabo, ignoret, non Theologus, sed rudis & novitus Theologiæ candidatus? Adducis alium locum, quem & ipsi Parochi protulere: *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem.* Videtur, inquam, per ignorantiam, crassam & voluntariam, non verò inculpatam & invenibilem.

Hic fateris ultrò, opinionem probabilem falsam ab erronea non differre. In quo sanè turpiter erras. Nani erronea probabili ratione non nititur, sed communi Ecclesiæ testimonio repugnat: hinc opposita certa est. Quis hoc de probabili dicat? erras, inquam, Willelme, non tamen inculpato errore, quia doceri non vis. Sed, inquis, sunt quidam errores, qui difficilius & à paucioribus deprehenduntur, & hi vulgo probabiles opiniones censentur. Vah stultum caput! quinam sunt illi pauciores? Jansenistas intelligis. Sed quis eos Judices constituit in re morum & fidei? Ad Ecclesiam, mi homo, non Portus-regalis, sed Romanam, ad Sanctam Petri Sedem, pro his judiciis veniendum est. Sed illam horretis, quæ vos erroresque vestros dirò anathemate perculit.

* Quod subiectis de repudio, ignorantiam tuam luculenter demonstrat, dicas enim nunquam repudiuim Judæis licuisse, & hoc constanti Patrum traditione constare. Sic imponis, Willelme, ignaris & simplicioribus. Quis enim nescit, indissoluble matrimonii vinculum divina lege initio fuisse institutum; in hac deinde per Moisem Dei jussu, ad manus malum vitandum, fuisse dispensatum (sic enim vocant), id est, indultuim, ut hoc vinculum propter graves aliquas causas dissolvi posset: ac demum à Christo

nova lege, indultum illud repudii abrogatum ac revocatum fuisse. Ita D. Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus in 4. dist. 33. aliquique ferè innumeri. Sed hos fortasse Casuistis aggregasti: nec eorum calculos numeras.

Tertulliani locus de spectac. cap. 20. ad rem non facit. *Quis enim illud excusat, quod Deus damnat?* at quod usum & praxim opinionum verè probabilem Deus unquam damnârit, nemo hactenus probavit. Idem dico de Augustini loco homil. 12. perperam enim homo promittit, quod non promisit Deus. homo enim falli & fallere potest; si tamen illum excipiamus, qui Dei nomine, cujus vices agit in terris, ex Cathedra Petri, toti Ecclesiæ oracula fundit.

Ad Bernardi locum venio lib. de præcept. & disp. cap. 14. * *Quod à nesciente fit, inquit, & bonum, prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta...* Licet levius admodum peccetur, ubi sana intentione, sola reprehensibilis actio foris apparet. Quorūsum hæc Willelme? quia ibi non est peccatum, ubi non est voluntarium ac liberum; si nihil est prorsus voluntarii, nihil relinquitur peccati; hujus tamen leve saltē aliiquid est, si aliquid voluntarii insit. hoc ipsum est, quod Theologi & Casuistæ dicunt; ad peccatum grave, lethale scilicet, plenam deliberationem requiri; ad leve, quod vulgo veniale vocant, semiplenam sufficere: hinc primi motus non imputantur ad culpam, quia libertatis usum præveniunt. Sed bonus sum, qui tecum de rebus Theologicis ago; quarum te ignarum, & imperitum esse, comperturn est.

* Pag. 79.

§. III.